domino acquirit, *Cujac feud 2.tit.*4. Nihil etiam refert, paterfamilias ſit, an filiusfamilias, *Zaſſius parte* 6. *Roland. à Valle conſ.*71 Sed an patri uſusfructus feudi per filium acquiratur, controverſum: affirmativum *Sonsbecius tenet parte* 7. *num.* 8. Verius eſt non acquiri, tum quia feuda non cenſentur jure reliquorum bonorum, ſed eius naturæ ſunt, ut aſcendentes non tranſeant, *feud.* 2. *tit.* 50. tum etiam quia feuda jure caſtrenſis peculii cenſentur, dantur enim ob militaria ſeruitia. At caſtrenſis peculii uſumfructum pater non habet *l.* 6. *Cod. de bonis quæ liberis.* Ergo nec feudi. Hanc ſententiam, uti veriorem, *d. conſ. Rolandus* 4. argumentis confirmat. Denique nihil refert, laicus ſit an clericus, *feud.* 2. *titul.* 4. *cap. cæterum de Iud. c. ex transmiſſa ext. de foro comp.* Dices, clericus inveſtitus à laico videtur ſe illius jurisdictioni ſubjicere: at hoc ne juramento quidem interveniente efficere poteſt, *c. ſi diligenti ext. de foro comp.* Reſ. eſſe hoc ſingulare beneficium clerici, cui etiam renuntiare non poteſt, quia non perſonæ, ſed toti ordini Eccleſiaſtico indultum, *Geil. lib. primo obſer.* 37. & *obſervat.* 40. Cæterum ratione feudi, clerici coram judice laico conveniri poſſunt, *Geil. d.* 37. *obſer. num.* 3. *Mynſing. cent.* 1. *obſerv.* 22. *Iulius Clarus in* § *feudum quæſt.* 90. Nec obſtat §. *qui clericus feud.* 2. *tit.* 26.

Tam paterfamil. quam filiusfam.

Queſtio. Utrum patri uſusfructus feudi per filium acquiratur

Reſponſio.

Ratio.

Tã clericus quam Laicus.

Ratio dubit.

Ratio decid.

Obiect.